



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendivm Summæ Card. Toleti**

**Minucius, Genesisius**

**Sammieli, 1613**

Qui finis, & qualis ieiunij modus cap. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41701**

*Qui finis, & qualis ieiunii mo-  
dus. Cap. 2.*

**T**Riplex est ieiunii finis, car-  
nis concupiscentias refr-  
nare, corpora aptiora ad  
contemplandum reddere, & pro  
peccatorū poenis satisfacere. MO-  
dus duplex, intrinsecus, & extrin-  
secus: intrinsecus consistit in sub-  
stantia ciborum, à quibus abstine-  
dum est, & in quantitate, & tem-  
pore. Circa substantiam, ab esu  
carnium semper in ieiunio absti-  
nendum, ab ouis & lacticiniis sal-  
tem in Quadragesima, in aliis vero  
temporibus seruanda est patris  
consuetudo, ita vt si cum aliquo  
dispensetur vt vescatur carnibus,  
censeri debeat cū eo quoque dis-  
pensatum esse in ieiunio, secus au-  
tem si tantum in lacticiniis. Discreta  
quantitas est, vt semel in die co-  
medatur, quod tamen non im-

pedit quin vt prandium ex causa potest interrumpi. ita & diuidi, sed alias qui pluries comedit, ieiunium frangit, at, qui prandium plus æquo protrahit, peccat quidem contra sobrietatem ieiunium tamen non soluit. Permittuntur consuetæ collationes etiã cum modico pane, & vino, vel vno atque altero genere fructuum, nec prohibentur lautiores, quæ Romæ facti consueuerunt Papa tolerante, dummodo ne lautæ ita sint, vt verius cœnæ dicantur, & in vniuersum mensura collationis expendenda est ex cõsuetudine patriæ, prout viget apud bonos & moderatos. In tempore, modus est, vt prandium iuxta loci consuetudinem habeatur, vt vna hora ante meridiem, quæ tamen hora potest iusta de causa præueniri, vt si quis habeat hospites, vel facturus sit iter, vel quia propter negotia non licebit illi tardius, ea-

demque est ratio de seruis ministraturis Domino tempore prandii. Sine causa autem praeuenire horam prandii, etsi mortale quidam putent, probabilius tamen est, esse veniale. Matutinæ collationes, quæ prandium ad vesperam, & noctis horam differunt, ex causa licent, sine causa, non sine peccato veniali sunt. Extremus modus est, quod hæc ieiunia in gratia & charitate fiant, & ideo salubre est confessionem, quadragesimæ præmittere.

*Quando ieiunium sit in præcepto, & qualis obligatio.*

Cap. 3.

**M**ulta sunt Ecclesie ieiunia sub præcepto: Quadragesima videlicet, quatuor anni tempora, Vigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Petrecostes, Assumptionis B. Mariæ